Disputatio medica inauguralis, de lue venerea & morborum venereorum specifico, ... / ex auctoritate ... Hieronymi van Alphen, ... eruditorum examini subjicit Joannes Buissiere.

Contributors

Buissiere, Joannes.
Alphen, Hieronymus van, 1665-1742.

Publication/Creation

Trajecti ad Rhenum : Ex officina Guilielmi vande Water, M D CCXVII. [1717]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/hnk2g2ka

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

21

DISPUTATIO MEDICA *INAUGURALIS*,

DE

Lue venerea & morborum venereorum ſpecifico;

QUAM,

DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

HIERONYMI VAN ALPHEN,

S. S. Theol. Doctoris & Profeſſoris Ordinarii.

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubjicit

JOANNES BUISSIERE, Gallo Anglus.

Ad diem 11 ~~Septemb.~~ Octobr., *loco horisque ſolitis.*

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ Typographi. cIↃ IↃ CCXVII.



DISPUTATIO MEDICA

INAVGVRALIS,

DE

Lue venerea & morborum venereorum ſpecifico;

THESIS I.

Virilis ætas omni morborum generi obnoxia eſt, ſed inter morbos qui hodie regnant nullus frequentior lue venerea, eſt autem morbus, ſi quis alius, contagioſus, utpote quo nullus facilius contrahitur. Homines enim ad libidinem, quam ad virtutem proniores, voluptatem unice ſectantes, & motibus animi turbulentis indulgentes, nulla habita bonæ valetudinis ſuæ ratione, ab immundis & ſordidis mulieribus hunc ſibi morbum contraxerunt. Animæ perceptio cum ſanguinis & ſpirituum agitatione conjuncta Paſſio dicitur. Perceptio non a corpore, non in corpore, ſed in anima exiſtit, prout igitur corpus bene vel male afficitur, ingeniorum atque affectuum mira varietas. Hinc raro occurrit mens ſana niſi in cor-

pore ſano, voluptas igitur & dolor a natura inſtituta ſunt, ut homo his ſenſationibus ad ea quæ ejus vitam non modo fovent, ſed ſanam & jucundam efficiunt, impellatur, illa vero, quæ vitam adimere poſſunt, vel bonam valetudinem lædere, averſetur. Hoc ſapientiſſimo naturæ inſtituto non niſi ratione depravata abutimur. Hic affectus ex nimia ſalacitate & protervia ac inſecuta fornicatione ortus, in hunc uſque diem propagatus eſt per materiam virulentam & contagioſam, concubitu aliove contactu communicatam.

I I.

I. Difficillimum eſt, & tantum non impoſſibile, perfectam luis venereæ definitionem dare, tanta enim eſt ſymptomatum in hoc morbo varietas, ut definitione omnes diverſas formas, quibus in diverſis ægris ſeſe exibet, complecti nemo poſſit. Illud tamen recte dici poteſt, hunc morbum conſiſtere in generali quadam ſuccorum & ſanguinis alteratione, a veneno per coitum impurum in corpore producto orta.

II. Uti hunc morbum definire difficile eſt, ita non minor difficultas in vera ejuſdem cauſa indicanda & conſtituenda occurrit. Sunt, qui putent, hunc novum in Europa morbum eſſe, & nos eum a populis Americæ, quibus fuerit endemicus, accepiſſe, poſt Americam ab Hiſpanis devictam. Verum hoc omne tantum nititur mutuo Gallorum & Hiſpanorum inter ſe convitio, illo enim tempore, quo in Italia inter ſe Bella geſſerunt, & Galli Neapolim obſederunt, hic morbus graſſabatur tam in exercitu Gallorum, quam inter milites Hiſpanos, qui in urbe obſeſſa erant; Galli Hiſpanos incuſaverunt, quod multas mulieres iſta lue infectas in exercitum ſuum miſerint, & hanc luem nomine morbi Neapolitani appellaverunt, Hiſpani contrà Gallos dicebant primos fuiſſe infectos, & ab iis contagium ad Hiſpanos perveniſſe. Quidquid ſit, ſive Galli ab Hiſpanis, ſive Hiſpani a Gallis, ſive tam hi quam illi hoc malum aliunde contraxerint, hic morbus poſtea ab omnibus, dictus fuit morbus Gallicus; illud etiam conſtat, hunc morbum non magis in America quam in qualibet alia orbis terrarum parte eſſe endemicum, quamvis vulgo dicant eum non ante in Europa cognitum fuiſſe quam Hiſpani Americam ſibi ſubjeciſſent, hinc enim non ſequitur id, quod volunt, nam hic morbus quem nunc luem veneream dicimus, aliorum morborum, exempli gratia, lepræ ſpecie, Medicos deludebat, uti facile poſſemus

mus oſtendere, ſi ex profeſſo de hoc ageremus.

III. Miſſa igitur hac controverſia conabimur cauſam hujus morbi, de prima ejus origine parum ſoliciti, breviter exponere, quam putamus ipſis experimentis inducti conſiſtere in confuſione & mixtura diverſi ſpermatis in vagina ſcorti dum cum multis viris coiret, mixtum enim illud ſperma, ſive frequentia coitus, ſive ipſius partis, in qua retinetur, calore incaleſcit, eoque calore particulæ ſalinæ in ſemine iſto confuſo exaltantur, ſuaque acrimonia, membranis, glanduliſque vaginæ, inflammationem inducunt, & cum ſanguine mixtæ illam ipſi alterationem inferunt, in quo morbi eſſentia conſiſtit.

IV. Glandulæ vaginæ, aut urethræ in viris, a materia iſta acri inflammatæ multum turgent, ſuiſque ductibus excretoriis copioſam ſaniem effundunt, quem ſanioſæ materiæ fluxum, tam in viris quam fœminis gonorrhœam appellant, qui cum ardore urinæ ſemper fere conjuncta eſt. Hæc quoque materia, aut potius venenum, quandoque tantam acrimoniam acquirit ut membranas erodat, quas eroſiones ulcera venerea appellant, & uſque in ſanguinem & ſuccos corporis nutritios, aliosque ejus humores penetret, tunc autem illa producit ſymptomata, quæ lui venereæ propria ſunt, coagulando eoſdem humores, qui deinde in glandulis ſubſiſtentes ſua acrimonia illas exedunt & conſumunt, eaque ratione ulcera peſſima in corpore producunt.

V. Poſt ulcera penis glandulæ imprimis inguinales ab hoc veneno afficiuntur, quarum tumores a coagulata & ſubſiſtente lympha orti bubones venerei vocantur. Quando venenum, quod continetur in ulceribus penis, ingreditur vaſa ſanguinea, & cum ſanguine circulante ad omnes corporis partes deducitur, varia in illis partibus excitat ſymptomata, pro partium, quas adit, diverſitate, & diverſis hominum hac lue infectorum temperamentis. Glandulæ Pharyngis præ aliis quoque partibus veneno hoc afficiuntur, quia viſcidus humor, qui in illis continetur, coagulationi aptiſſimus eſt, poſtquam vero coagulatus eſt, primo inflammationes, & poſtea ulcera phagedænica in faucibus producit.

VI. Glandulæ quoque cutis miliares vim & efficaciam hujus veneni coagulantis experiuntur, tunc vero effundunt viſcoſam materiam, ex qua cuti cruſta obducitur & puſtulæ venereæ exitantur, quæ in ulcera cutim exedentia poſtmodum mutantur. Quando venenum in glandulis ſinus frontalis & diploes cranii inflammationes producit, dolores capitis atrociſſimi ægros excruciant. Si vero glandulæ arteriæ aſperæ, & ra-

morum ejusdem arteriæ per pulmonem distributorum isto veneno tentantur, tussis molesta vexat.

VII. Hoc ipsum venenum in glandulis medullæ ossium coagulationes facit; dum vero humores coagulati progressu temporis dissolvuntur fibras emolliunt, & continuo corrodunt, unde magni dolores existunt, & tandem substantiam ossis aggrediendo cariem producunt, quæ nunquam curabitur, nisi partem carie exesam trepano auferendo.

VIII. Ex omnibus illis symptomatibus admodum probabili conjectura concludimus, venenum illud venereum nihil aliud esse, quam acidum volatile, quia tanta facilitate totam massam sanguineam succosque nutritios inquinat & prompte coagulationes fibrarumque erosiones efficit in partibus, quas inficit; Unde etiam liquet, venenum illud venereum destrui non posse, nisi ab alkali volatili, cum vero mercurius naturæ alkalinæ volatilis sit, eam ob causam verum erit hujus morbi remedium specificum, quod ipsum etiam experientia confirmat.

IX. Multæ & variæ mercurii præparationes sunt, quæ tamen omnes eo tendunt, ut earum ope mercurius aptior reddatur, qui corporis humani humores ingrediatur, & cum iis misceatur, ista autem facilitas penetrandi pendet partim a fluiditate, partim a volatilitate, partim a gravitate mercurii, hæc enim impediunt, quo minus in loco aliquo subsistere possit, sed potius efficiunt ut per poros partium penetrando sanguinem ingrediatur. Hic morbus, quem Neapolitanum dictum fuisse supra retulimus, quia ab obsidione Neapolitana primum ejus contagium originem habuisse vulgo creditur, anno scilicet millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio & quarto, omnes fere orbis terrarum partes nunc pervasit. Eam forte non male definiemus, morbum esse contagiosum aut intemperiem malignam & contagiosam, ex materia virulenta ab mulieribus infectis atque prostitutis communicata contractam.

III.

In lue venerea plurima symptomata enumerantur: scilicet pustulæ magnæ, & pustulæ aliæ e corpore universo erumpentes, præter has ulcera magna fædissima circa pubem, & pudenda exorta, inflammationes erysipelatodes frequenter accidunt ex repentina atque intempestiva gonorrheæ suppressione a validis adstringentibus facta, unde testiculos intumescere vidimus, quod vix fieri posset, nisi ipsi ex parte sedes gonor-

norrheæ forent, propterea enim intumescunt, quod materia, fluxu ejus intempestive supresso, in eos regurgitet. Ab acido vitiato & maligno variæ & horrendæ in corpore turbæ atque ulcera, nodi, caries, fœtores, & squalores horridi exoriuntur, quibus addas licet gonorrhæam cum cancro præputii, bubones in utroque inguine, membrorum aut articulorum dolores, nocte ingravescentes, tubercula, atque parvulos abscessus circa testes & scrotum, ulcerationes faucium, cariem ossium, dolores gravissimos circa ossa, & in capite, atque insomnia turbulenta, dolores etiam tum capitis tum artuum, in articulorum interstitiis, qui humeros, brachia & talos crudeliter laniant, ἀτροφία quoque aut κακοτροφία, id est, nutritio depravata sæpius accidit ex sanguinis vitio & mala nutritione orta. Hæc si adsint, nullus utique superest dubitandi locus, quin luis venerea perfecta sit, quæ solo mercurio curari potest, ut postea videbimus.

I V.

Luis venereæ sedes residet in sanguine salino recremento venenoso inquinato, hoc ipsum cum in partes irrumpit, functiones earum perturbat. Interdum videre est acrimoniam mordacem, quæ corpori partes exteriores aggreditur, tunc ex sanguine acriori ulcuscula in corpore universo enascuntur. Virus acidum, quod in lue venerea abundat, videmus substantiam cranii ejusque succum nutritium latè corrumpere, qui progressu temporis in viscosum acidumque humorem degenerat; qui collectus sub & intra cranium, tumores producit, qui exostoses ostium, nuncupantur, ita tandem ossa & ipsum cranium corroduntur, unde fit, ut dolore gravissimo aut cephalalgia perpetuo urgeantur, qui hoc morbo afficiuntur. Humorum scilicet & spirituum continuæ agitationes functiones vitæ absolvunt, sed dum præcipiti cursu moventur, & acres facti sunt, solidas corporis nostri partes atterunt, decerptasque particulas secum abripiunt, hinc alimenti ἀλεξικακυ, necessitas, quo assiduum istud effluvium reparetur. Luis venereæ virus, quod acidum esse censemus, si carnes aut prostratas aggrediatur, ulcera atque inflammationes, si ossa, nodos, si inguina, bubones, si extremas pudendorum partes, cancrosa ulcera, si denique habitum corporis, pustulas singulari ac diverso caractere donatas infert. Nemo facile dubitaverit quin exostoses ossium, tumores, atque maculæ rubræ, ulcera, dolores denique acutissimi a veneno

neno venereo exoriantur, & quin illi viſcoſi ſalini atque acidi humores in maſſa ſanguinea peregrinum fermentum conſtituant. Unde patet hunc morbum non curari poſſe niſi hoc virus auferatur; & ſi alia remedia nihil efficere valeant, ad mercurium pro morbi hujus curatione neceſſario recurrendum eſſe. Nihil eſt in rerum natura, quod potentius corpora quævis duriſſima in minimas partes diſſolvere queat, quam liquor acidus, diceres eum eſſe ex acutiſſimis gladiolis conflatum, id experimentis nititur. Nam ſi quis ſpiritum vitrioli aut ſulphuris vel primoribus labris deguſtet, illico eas partes corrodi ſentiet, eadem igitur ratione hæ particulæ acidæ impuro coitu in ſanguinem delatæ, chylificationem atque ſanguificationem vitiant, hoc ipſum virus propagatur, & a parentibus ad liberos transfertur. Efficaciſſimas mercurii in corpus humanum operationes & ejuſdem effecta explicare aliter non poſſumus, niſi dicendo Hydrargyrum, cujus globuli a ſulphure naturæ arſenicalis diſſociati ſervantur, ab ejuſdem ſulphuris acrimonia acerrimum factum chyloſam & roridam ac nutriciam partium ſubſtantiam arrodere, & liquefacere & cum ea ſuccos acidos vitioſos, quales ſunt in iis, qui venereo contagio ſunt infecti, per ductus ſalivales expurgari, quia hi ſucci liquefacti, per poros glandularum maxillarium tranſmittuntur veluti per incernicula ipſis convenientia.

V.

Quandoquidem nullum adhuc ſpecificum inventum fuerit contra hunc morbum, quod ſine ſalivatione ab hydrargyro exitata eum perſanet, ideo mercurii proprietates uſumque breviter deſcribere non alienum puto. Mercurius eſt metallum volatile, ſeu argentum vivum, id eſt, currens, vel argentum liquidum, quod præſtantiſſimum remedium ac ſpecificum eſt, ſi bene exhibeatur ſed periculoſiſſimum ſi ab imperitis agyrtis adminiſtratur, qui in omnibus morborum ſpeciebus hoc remedio utuntur & omnibus ægris nulla morbi ratione habita inconſiderate illud in uſum vocant, & tantum non pro panacea commendant. In commentariis medicorum Arabicorum legitur, ulceribus inveteratis ſanandis mercurium adhibitum fuiſſe, quod occaſionem dedit Joanni Carpio Medico Bolonienſi in aliquorum ulcerum venereorum curatione hoc remedio utendi, ſalivatio per os fortuito inſecuta eſt, quæ multum valet ad ulcera huic morbo familiaria ſananda. Hæc methodus medendi poſtea ſummum lucrum

crum Bolonienſi Medico attulit. Ab illo tempore apud Medicos plures hæ præclaræ curationes mercurium commendarunt, eoque uſi ſunt ad ſalivationem exitandam in morbis malignis cutaneis, ſcilicet in puſtulis latis & rubris, quæ ex omnibus partibus corporis noſtri erumpunt, ac in ſcabie, impetigine, in ſcorbuto, in Rheumatiſmo, tumoribus ſcrophuloſis, cancris, pluribusque aliis, ſed cum parvo ſucceſſu, uti poſtea videbimus. Proprietates Mercurii igitur ſalivationi provocandæ aptæ ſunt: & ſalivatio per eum inſtituta reſolvit tam utiles quam inutiles humores, eosque ſubtiliſatos & fluidiores redditos per glandulas maxillares expellit, & quia ſaliva ex ductibus glandularum ſalivalibus in os depluit, lympha quoque capitis præternaturalis exoneratur, ita ut mercurius inter caputpurgia & apophlegmatiſmos non infimum locum obtineat: cum ſaliva etiam plurimæ ſeroſitates in ſalivatione expurgantur, ex glandulis quoque innumeris ſubter membranas pituitarias aut ex glandula pituitaria ſubter totam cerebri molem in ſella equina prope infundibuli mucronem poſita, in os depluunt. Extra dubium autem eſt nunc temporis, glandulas totius corporis ex minimis vaſis inter ſe circumvolutis & conglomeratis conſtare, quod ex obſervationibus accuratiſſimis Anatomicorum Neotericorum evidentiſſime patet. Hæ glandulæ, quæ ex ramis arteriarum carotidum lympham recipiunt, perpetuo fundunt in ſalivatione liquorem acrem & quodammodo glutinoſum, poſtea quoque ſanguinolentum & purulentum: certum etiam eſt, humores ſuperfluos ex ventriculis depluentes (veteres pituitam vocant) a glandula pituitaria excipi & abſorberi, deinde ſanguini venoſo commiſceri per vaſa, quæ nondum fuerunt detecta, ita lympha in meatus ſalivales ſpargitur, tum latices aquoſi ab his glanduloſis corporibus abſumendi magna copia fluunt, & ita internas capitis partes exonerant.

V I.

Multis modis mercurius præparari a Medicis ſolet, ut ſalivatio quam commodiſſime & rectiſſime excitetur. Vulgares ejus præparationes ſunt, depuratio, ſublimatio, præcipitatio &c. Præcipitationis multiplex eſt ratio, & pro diverſa mercurium in ſpiritibus acidis diſſolvendis & poſtea nunc his nunc illis modis præcipitandi ratione, mercurius modo dicitur præcipitatus albus, modo flavus, modo ruber. Si enim mercurius diſſolvatur in aqua forti & affuſa muria præcipitetur, cadit pulvis albus

præcipitatum album dictum, si solvatur in aqua forti, & postea ista aqua abstrahatur, relinquitur pulvis ruber, quem præcipitatum rubrum vocant, si denique in oleo vitrioli dissolveris mercurium, oleo per ignem abstracto, remanebit pulvis flavus, quem turpethum minerale vocant. Simplicitas Medicamentorum varietati præferenda est, quare in omnibus præparationibus mercurialibus describendis non detinebor, sed tantum breviter qua ratione tuto & certò salivatio excitari possit & debeat exponam. Æger, antequam ipsi mercurius per os exhibeatur, aut ejus corpori allinatur, hoc modo tractari debet: primo vena secanda & sanguis mittendus ad uncias xij. secundum vires patientis, secundò balnea aquæ tepidæ per octo vel decem dies præmittenda, datis interim aliquoties catharticis: talis haustus catharticus bis vel ter exhiberi poterit.

℞. Decocti sennæ gereonis cum duplo sennæ pharmacopeæ Londinentis ℥iv. in quibus dissolve tartari vitriolati ℈ij. syrupi de spina cervina ℥j. vel ℥iß. M. F. haustus mane sumendus cum regimine solito. Ægro sic bene præparato, poris apertis, & viscosis humoribus attenuatis, sanguine, qui initio spissus fuerat, & succis acribus scatuerat, diluto, attenuato, temperato, tandem virus omne facilius eliminari poterit ex corpore, & mercurius multo facilius omnes corporis penitissimos recessus permanabit. Salivatio pluribus modis institui potest, scilicet internis, & externis remediis. Mercurius dulcis in substantia interne datur, sed externe mercurius vivus cum unguentis & emplastris mixtus corpori applicatur, sed optimum & tutissimum est mercurio unguento permixto probe corpus perfricuisse. Mercurius dulcis sexies sublimatus a gr. xv. ad gr. xx. prima vice ordinario datur in bolo vel aliqua conserva, vel pilulis cum s. q. mucilagine e gummi tragacantha factis, sequenti die dosis reiteratur & quotidie eadem dosis exhibetur, donec ad copiosum ptyalismum perducatur. Si Æger a bolis aut pilulis abhorreat, oportebit mercurium dulcem cum vitello ovi mixtum exhibere. A peritis practicis salivatio procreata per frictionem tutissima habetur, uti ante quoque diximus: describemus itaque unguentum conveniens, quod ita præparetur.

℞. Mercurii crudi vel vivi ℥j cum sufficienti therebintinæ venetæ quantitate bene extincti, deinde adde paulatim axungiæ porcinæ ℥ij. omnia bene inter se misceantur. Hoc unguento corpus totum, ejusque juncturæ, excepto capite, pectore, axillis, & hypochondrio dextro, bis aut ter in hebdomade, ægro ad ignem collocato, circa horam quartam pomeridianam

meridianam illinantur confrictione per horam diligenter continuata; deinde æger indusium laneum induat, post tertiam inunctionem gingivas, linguam, & labia, ut plurimum intumescere, ac sic ptyalismum suboriri videbis. Debet ejusmodi inunctio alternis diebus institui, & si res ita postulet, sequenti septimana ter repeti, donec copiosa salivatio excitetur, secundum varios morbi gradus. Si sufficienti tempore elapso morbi ferocitas non omnino videtur expugnata, inunctio repetenda est ut antea, nec non spinalis medulla manu ab inferioribus ad superiores partes ducta cum frictione illinenda. In principio quoque, imo in omni tempore salivationis recta diæta observari debet. Decoctum tenue ex lignis confectum ægro propinetur, si enim decoctum forte adhiberetur, tunc sudor insequeretur, qui sudor salivationem impediret. Saliva tenuis & clara est in initio fluxus, deinde sub finem viscosa atque purulenta fit. Saliva fluit plerumque per viginti dies aut amplius. Quando salivatio non sua sponte sistitur, utetur æger gargarismate facto ex decocti hordei cum rosis damascenis ℥ix. mellis rosacei ℥ij. quod tepide usui detur. Ægro etiam dentur potiones purgantes, quarum supra formulam dedimus: si vero natura succumbat, nec par sit salivationi ulteriori sustinendæ, dentur diaphoretica & cardiaca, ut vires prostratæ reficiantur & instaurentur. Ptyalismo sic peracto, cathartica repetantur bis in septimana, ne mali ullæ reliquiæ remaneant. Æger spirituum copia, quibus opus habuit ad redintegrandam sanitatem, destitutus, potest uti Apozemate sudorifico sequenti.

℞. Rasuræ ligni guajaci ℥ij. radicis salsaparillæ minutim incisæ ℥iij. ligni sassafras & oxyaloes aa. ℥ß. antimonii crudi in nodulo ligati ℥iv. infunde simul in aquæ fontanæ ℔viij. in cineribus calidis per 12. horas, coque ad tertiæ partis consumptionem, fiat colatura, in qua infunde tepide radicis liquiritiæ rasæ ℥ß. & seminis coriandri contusi ℥ij, deinde fiat iterum colatura, de qua æger sumat haustum largum ter vel quater in die, ad sanguinem purificandum & liberandum ab omnibus sordibus ex mercurio in corpore remanentibus. Hæc curatio verno atque autumnali tempore peragi debet ut prospere procedat, quia calor æstatis aut nimium frigus hiemis vel nimium poros distendit, vel constringit, & ita salivatio non bene institui posset. Hic obiter noto, quoties gravida hac lue infecta occurrit, eam salivationi subjiciendam esse ante partum, ne fætus eadem lue infectus nascatur. Si autem salivatio bene fuerit procurata, fœtus cum matre sanitatem pristinam recuperat.

VII.

Obſervandum eſt, in progreſſu ſalivationis aliquando accidere, ut poſt duas aut tres inunctiones aut duas aut tres doſes mercurii dulcis exhibitas remedium in materiam morbificam non penetrare poſſit, ægro licet bene præparato ut jam diximus per venæ ſectionem, purgationes, aut balnea, ſed ut mercurius præcipitetur ab acribus & corrodentibus humoribus per ſedes ac in diarrhæam vertatur, aut vomitum excitet, neceſſe tum erit mercurii uſum interrumpere, imprimis per vomitoria, facta ex radicis hypecacuanhæ minutiſſime pulveriſatæ ℈ij. hora quinta pomeridiana ſumenda cum liquore convenienti & cum regimine ſolito, poſtea Julapium paregoricum ſequens exhiberi poteſt duabus horis, aut tribus, poſt operationem emetici.

℞. Aq. menthæ ℥iij. theriacalis ℥vj. ſyrupi Diacodii ℥ß. electuarii Diaſcordii ℥j, M. F. hauſtus hora ſomni ſumendus, ut effervescentia ſanguinis compeſci queat. Mixtura etiam ſequens præſcribi poterit ad diarrhæam ſiſtendam, contra animi deliquium, & dolorem ſtomachi, qui in fluxu ventris ſæpe vehementer afficitur:

℞. Aq. lactis alexiteriæ pharmacopeæ Londinenſis & menthæ aa. ℥iv. Epidemicæ, ſcordii compoſitæ aa. ℥ij. confectionis Fracaſtorii ſine melle ſi haberi poteſt ℥ß. M. F. mixtura, de qua æger ſumat cochlearia iij. vel iv. poſt ſingulas ſedes, & hora ſomni cum laudani liquidi gt. xij. Æger non ſumere debet alium potum, quam hunc ſequentem hic ſubjiciendum:

℞. Decocti albi facti cum cornu cervi uſti pulveriſati ℥ij. coquantur cum cruſta panis in aquæ fontanæ ℔iij. colaturæ adde aquæ cinamomi hordeatæ ℥ij. ſacchari perlati ℥ß. M. F. apozema, de quo æger hauſtum largum ad libitum ſumat, his remediis diarrhea ſedata, ad ſalivationem denuo recurratur.

Si Æger ad excitandam ſalivationem mercurium interne ſumpſerit, cavendum ne diarrhea ſuperveniat quia difficilius ſiſtetur. Periculoſiſſima autem eſt diarrhæa ob convulſiones & deliria, quæ ſæpe accidunt. Illis tamen occurrere conabimur, hauſtum vini canarini, aut aliud quodvis cardiacum ægro ſubinde exhibendo, oneri aliter impar eſſet, vel & convulſionibus violentis, quæ ſubito accedunt, opprimeretur. Cavendum eſt etiam in curſu ſalivationis, ne Angina ſuperveniat, nam ſicut morbus

ſali-

ſalivatione curatur, ita ſi ſaliva non libere fluit, tunc ea ſtagnans cum ſanguine in gutture inflammationem producit.

Potentiſſimum & efficaciſſimum igitur ſalivandi genus eſt id, quod per inunctionem mercurialem procuratur. Si ægro, qui lue venerea laborat, præter ulcera, & puſtulas venereas, aliaque ſymptomata, tumores, aut nodi oſſium accidant, ſive in capite, brachiis, aut in tibiis, auxilium alicujus Chirurgi experti implorabit, quamvis enim ſalivatio mercurio adminiſtrata fuerit, præter eam tamen cauſticum lunare pulveriſatum partibus affectis applicari debebit per horas duodecim aut amplius, donec cruſta ſive eſchara partibus affectis, ſive nodis, inducta fuerit. Deinde verò os ope ſcalpelli denudetur inciſione magna facta: imo, ſi vulnus anguſtum fuerit, tum longe lateque incidere & dilatare oportebit abſque periculi metu, niſi vaſa arterioſa magna ſubjaceant; poſtea modiolum ſive τρήπανον applicetur, quod profundis oſſium corruptionibus exterminandis inſervit. Hoc inſtrumentum adhibetur quotidie tam diu, donec partes vitiatæ in oſſium exoſtoſibus omnino auferantur atque extirpentur, partim per ſalivationem, partim per ſubſtractionem ſubſtantiæ oſſium infectæ. Chirurgus vulnus curabit cum plumaceolis digeſtivo medicamento imbutis, atque ſimilibus, ad ſuppurationem provocandam, ita per hanc viam venena omnia evacuabuntur.

Perſæpe lues cum cancris venereis conjuncta eſt ante ſalivationem: hi venerei cancri in præputio vel in ſcroto ordinario occurrunt, & non ſunt negligendi; inter medicamenta externe admota hactenus nulla vidi, quæ cancros curaverunt, niſi illa mercurio præcipitato rubro cum unguento baſiliconis mixto conſtent, ut ſuppuratio fiat, ne viſcoſi humores, qui ex iis expurgantur, frænum atque præputium penis corrodant. Etiam hi cancri ope ſalivationis diſſipantur paulatim cum omnibus ulceribus, atque maculæ rubræ venereæ evaneſcunt, aliaque ſymptomata, ſi ſalivatio bene dirigatur, nec non dolor, paulatim minuuntur atque placantur. Sæpe vidimus ægrum cancris, Phymoſibus, atque gonorrhea virulenta, & bubonibus, ſine vera lue laborantem, verum ubi luem veneream originis parentem agnoſcit, ut morbi progreſſus inhibeatur, mercurialibus ſemper uti debemus, præcipue in cancris, & quidem ut jam dixi, mercurio præcipitato rubro. In bubonibus quidem emplaſtro ex ranis cum mercurio ſuper alutam extenſo atque parti affectæ applicato. Si bubones intumeſcant, ad maturitatem perducantur; in hunc finem oportet emplaſtrum e mercurio removere, & in ejus locum emplaſtrum Diachylon

lon cum gummi applicare; quando materiam bene concoctam esse ipso tactu & contrectatione bubonis evidenter apparet, tunc longam latamque incisionem oportebit facere, vel causticum lunare per horas sex vel octo applicare, deinde abscessum aperire, diuque apertum tenere ad citam curationem. Interim cathartica & emetica mercurialia danda cum regimine debito, vel hæ pilulæ purgantes. ℞. Mercurii dulcis ℈ij. diagridii præparati ʒj. cum s. q. Syrupi e rhamno cathartico fiant pilulæ octo pro duabus dosibus, detur una dosis, quæ aliquot diebus interjectis repetatur, si necesse fuerit: post primam dosim vomitorium mercuriale exhibeatur. ℞. Turpethi mineralis gr. vj. tartari emetici gr. iv. cum s. q. conservæ cynosbati f. bolus vel pilula, quæ hora commoda sumatur cum regimine solito, hoc vomitorium semel vel bis in hebdomade secundum malignitatem morbi repeti debet. Hæc remedia cum auxilio aliorum medicamentorum tam internorum quam externorum recte administrata, omnia hæc accidentia & symptomata sine ulla salivatione curare possunt. Non est hujus loci & temporis variorum authorum varias opiniones de hoc specifico in morbis venereis referre ac refutare, satis erit observationibus aliquot nostram confirmare opinionem.

VIII.

Postquam morbi descriptionem dedimus, & affectus ac symptomata enarravimus, nec non mercurii usus & proprietates cum ejus præparationibus atque methodo utendi in morbis venereis attulimus, nunc porro demonstrabimus, mercurium, quamvis in omnibus morbis venereis sit remedium specificum, in pertinacibus tamen aliis morbis nihil valere. Medici hodierni in cancris uteri aut mammarum fæminarum, in affectibus scrophulosis, in arthritide, aut in rheumatismi doloribus, in impetigine &c. mercurio plerumque utuntur, sed cum exiguo aut nullo successu, uti ipsi vidimus. Plura dicam, inter omnia remedia, quæ in Medicina nobis cognita sunt, nullum novi, cui specifici remedii nomen dari possit præter mercurium in morbis venereis, excepto cortice Peruviano in febribus, hæc vero sequentia, quæ opinionis veritatem demonstrant, observantur.

Mercurius, uti fere in aliis etiam remediis fieri solet, vituperatur ab his, probatur ab illis, causam morbificam luis venereæ posuimus supra esse virus acidum cum sanguine permixtum, quod sola salivatione per mer-

mercurium excitata expugnari possit, hoc posito, videor mihi non sine ratione posse affirmare, mercurium sese miscentem cum viroso fermento quod luem veneream facit, illud sua mobilitate secum e corpore cum saliva educere, quod in aliis affectibus accidere non potest.

In cancro uteri, & mammarum, qui in glandulosa mammarum fæminei sexus substantia sedem habet, & qui nihil aliud est, quam tumor durus, dolorificus, livido aut plumbeo colore præditus, dolor cancrum comitans provenit ex corrosione partium sensu donatarum, durities ex crassitie lymphæ glandulas obstruentis. Curatio ejus difficillima est, interdumque obtineri non potest, quæ tamen per multa remedia tentatur. Inter medicamenta externa sunt, lapis medicamentosus mixtus cum aqua calcis, & succus cancrorum fluviatilium. Interna remedia efficacissima sunt antimonialia, salia volatilia, sed mercurius interne datus aut externe applicatus perniciosus est, quia ejus natura nimis volatilis humoribus istis acribus figendis atque destruendis minus apta est. Mammarum extirpatio in cancri curatione minime valet, quandoquidem causam non tollit, idcirco difficillime & perraro curatur.

In dissectis puerorum, qui scrophulosis affectibus laboraverant, cadaveribus, omnes glandulæ mesenterii obstructæ atque induratæ a me observatæ fuerunt, in his autem causa scrophularum posita erat. Hi tumores cum inflammatione glandularum mesenterii oriri possunt a nimia serositate, crassitie, ac visciditate succi nutritii, dum viscosi humores pedetentim indurescunt ab acido coagulati, & calculorum instar in mesenterio apparent, hi verò ad glandulas colli delati in iisque subsistentes scrophulas aut strumas efficiunt. Purgantia hic ita non conveniunt quam quidem vomitoria, si vero per mercurium salivatio provocetur, materiam morbificam sæpe augeri vidimus, ita ut experientia doceat salivationem per mercurium excitatam scrophulis curandis imparem esse. Arthritidis sive Rheumatismi causa est serum recremento salino inquinatum, quod in partes irrumpens functiones earum plerumque perturbat, causa igitur proxima & immediata hujus affectus est humor serosus, qui propter tenuitatem suam partes in tumorem non elevat, sed tantum dispositionem quandam inflammatoriam ex seri fervore oriundam infert. Multa remedia a recentioribus medicis usurpata sunt, ad contumaces istos affectus oppugnandos, præcipue vacuantia per intervalla usurpata, Phlebotomia, vomitoria, ac purgationes, remedia quoque anodina, emollientia, atque absorbentia, & similia alia: usus lactis secundum methodum recentiorum

nimia

nimia cum vehementia in hoc casu agit, omnia igitur mercurialia in his affectibus perniciosa sunt. In pruritu corporis, aut impetigine, qui affectus nihil aliud sæpe sunt, quam species scabiei siccæ rubiginosæ proveniens a particulis salinis acribus, corrosivis, ad ambitum corporis protrusis, aliquando hæ pustulæ instar pustularum fætidarum luis venereæ apparent, unde fit, ut multi chirurgi imperiti decipiantur in hoc casu, & in errorem inducantur, dum mercurialia ad salivationem procreandam administrant, sed frustra. Vidi in homine, qui ex gonorrhea virulenta bene convaluerat, speciem impetiginis rubiginosæ cum puritu conjunctam, in toto corpore erumpentem, ita ut a scalpendo vix unquam quiesceret, is chirurgum consultavit, qui ipsi salivationem procuravit, ac si lue venerea laboraret, salivatione peracta omnes pustulæ evanuerunt per aliquot septimanas, postea eadem symptomata cum pruritu magno iterum apparuerunt, ut ægrotus alium chirurgum consultum adire coactus fuerit, qui eum hoc modo curavit: primo venam secari jussit, postea potionem purgantem dedit, deinde electuarium laxans compositum ex stibio purificato, & gummi guajaci cum aliquot aliis ingredientibus, de quo æger ad quantitatem nucis castaneæ singulis noctibus sumpsit, intra paucos dies ægrotus in perfectissimam sanitatem restitutus est. Quod imprimis ad nostram opinionem probandam mihi idoneum videtur. Ex hisce omnibus sequi mihi videtur, mercurium in lue venerea ac cæteris morbis venereis specificum esse, in aliis non item, quod demonstrare mihi proposueram.

FINIS.